

05

A

677





30

FELICITER!
DISSERTATIO PHYSICA
DE
S O M N I I S,

Quam
Divinâ adspirante Gratiâ
In Illustri Saxonum Academiâ
SUB TUTAMINE

V I R I
Præcellentis juxtâ atq; Præclarissimi
DN. M. CHRISTIANI DONATI
AMPLISS. FACULTAT. PHILOS. ADJUNCTI

Meritissimi,
Domini, Fautoris, Studiorumq; suorum Promotoris
omni observantiæ studio suspiciendi,

Publicæ Eruditorum Censuræ
submitte

AUCTOR

CHRISTIANUS ANDREAS VOGELIUS,
ROSVINO-MISNICUS.

Ad D. XXII. Novembr. A. O. R. M. DC. LXXI.

In Auditorio Majori Horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.
Excud, Simon Liberhirt,



05 A 677

B. C. D.
PRÆLOQVIUM.

Nondum sufficebat benignissimo nostrum Creatori tam egregiis nos exornasse externorum sensuum dotibus, quò minus insuper insignem illam internorum bigam, Sensum scilicet Communem, & Phantasiam addidisset, à quibus species ab externis sensibus oblatae ac in cerebro receptae dijudicarentur, dijudicatae diutius retinerentur, altiusq; examinarentur. In horum talium commemoratione & intimiori examine qui DEUM non laudat, adoratq; admirandum Evergetam & Architectum, is bruto stupidior sit, necesse est. Etenim si uspiam hominis natura incomparabilem suum apparatus, ornatumq; exponit, certè hinc admodum egregiè illud facit: Per hos enim veluti ministros concinnè, aptè & suaviter conjungenda copulat, disjungenda separat pariter atq; divellit: Per hos ad rationis tribunal revocat, quaecunq; visui, auditui, gustui, olfactui atq; tactui objiciuntur. Hinc videas Sensum Communem, ceu Regem proponentem, & Judicis instar judicantem; Phantasiam, quasi caulae Patronum, tam plenè, tam accuratè, tam subtiliter perorantem, differentem, examinantem, ut nil supra. Quid dicam de stupendis Phantasiae viribus? quas quancquam ubi-vis ostendat quam amplissimè, maximam tamen earum specimen SOMNIA nobis exhibent, quae tot saepe dormientibus tragelaphos pingunt, terriculamenta fingunt, gryphes equis jungunt, artis naturaeq; monstra eximia proponunt, ut ad vigiliam redeuntibus saepius cachinnus, saepissimè admiratio exprimatur. Quae omnia cum mecum intentius paulò reputarem, aliquid de illis ipsis per horas conari succisivas, statim libido cepit. Quid? quòd accedebat insuper materiae dignitas, quae inertiam nobis, quos per singulas ferè noctes divexant somnia, ipsa exprobrare videbatur; utilitas, quae tot curiosae Physicae secreta pandit; jucunditas, quam per ejusmodi meletemata toties, quoties haec speculamur, reapse sentimus. Ego proinde hac utili ejus jucunditate magis magisq; allectus fore confido, ut operam ne ludam penitus, si vires ingenii mei in dilucidandâ hâc materiâ impensius

A 2

pericliq;

periclitabor. Quod dum molior, veniam, ubi à recto declinare
forsan videar, ab æquo rerum censore quin impetravero, nul-
lus equidem ambigo. Tu verò, qui solus animo erroris discutis
nebulas, Sapientissime DEUS, ad veritatis, quam ardenti deside-
ro pectore, me perducas tramitem! Esto itaq;

Christo Auspice Vero

SECTIO I. EXEGETICA

Somniorum explanans Naturam & Varietatem.

§ 1. Facturi pretium operæ videmur, si paucis duntaxat
lineolis de nomine nonnihil deliberaverimus prius, quam ad
rem ipsam paremus aggressum; utpote haud immemores illius
Clementis Alexandrini *L. VI. Strom.*: δύο τῆς ἀληθείας ἰδέαι, τὰ τε
ὀνόματα, καὶ τὰ πράγματα.

§ 2. Nec tamen circa vocis hujus originem jam curiosè
erimus occupati, quippe quum adeò majoris indaginis non in-
digeat. Ambiguitas verò, quæ, teste subtilissimo Scaligero *Exercit.*
CXLIX. sect. IV, erroris affinis est, negotium nobis facessere vide-
tur. Hanc igitur, ne eadem circumveniamur, evuamus oportet.
Proindè notamus, vocabulum Somnii sumi aliàs *impropiè* &
Metaphoricè, pro re futili, inani, & nullius planè commatis: quo
sensu apud Terentium, aliosq; Auctores passim legitur. Hinc &
proverbium natum est, quod ille vigilans somniare dicatur, qui
ejusmodi inania atq; futilia in medium proferre non erubescit.
Sed hinc *propiè* istud accipitur pro eo, quod in somno nobis
apparet atq; conspicitur; undè & suam denominationem habet.
Diciturq; præterea etiam *Insomnium*, ob causam eandem. Ubi
tamen illud observari velimus, hæc duo vocabula nonnunquam
sibi invicem opponi, ut infra patebit; Sæpius a promiscuè ad-
hiberi, ita ut prorsus sibi æquipolleant, atq; ita se æqvè latè
diffundant: in quâ ultimâ acceptione à nobis quoq; hoc loco ad-
hibentur.

§ 3. Definitionem igitur Somnii quod concernit, variam
varii subministrant. In Aristotelis a. definitione, quâ per *appa-*
rens in somnis phantasma, à quo decipimur, describitur, ultima ver-
ba omnibus applicari posse somniis, cave credas. Tantum enim
abest

abest, ut omnia illudant, fallantve somnia, ut informant potius atq; moneant quam sapissimè. Exempla habes in insomniis divinis, quæ sine ratione negat Philosophus. De his autem infra prolixius. Nos ambabus arripimus, quam nobis B. Sperlingius in *Zoolog. L. I. c. XVI.* sequentibus suppeditat verbis: *Somnium est phantasma animalis dormientis cerebro obversans, phantasia operatione factum.*

§. 4. Quâ in definitione consideranda veniunt tum Genus, tum Differentia Specifica. Genus constituitur *phantasma*; idq; non immeritò. Quippe Somnia nihil aliud sunt, quam visa illa, quæ efficit ac format phantasia ex iis, quæ vel cerebro ipsi ex agitatione diurnâ reliqua, aut organis sensui destinatis inhæserunt, vel ab interioribus profecta membris vellicant, afficiuntq; nervos intrinsecus, dum sensus exteriores, velut vincti ac sopiti, quiescunt. Sunt etiam non pauci, qui Genus per *ideam, imaginem vel speciem* expriment. Diurno quippe tempore res variæ habentur in sensibus non quoad seipsas, d. quoad species & imagines: hæc deferuntur ad sensum Commune, Phantasia & Memoriam, & noctu deinceps phantasia ex iisdem sua fingit efficitq; somnia. Quamvis rectius somnia per *repræsentationes specierum*, quam per species aut imagines ipsas definiri posse arbitremur. Hinc Eustachius à S. Paulo *Phys. Tract. III. disp. 3.* eligere maluit apparitionem. Ita enim ille: *Somnium optimè defini potest: Apparitio exhibit a per internum sensum in iis, qui dormiunt.*

§. 5. Removemus autem abhinc Genera Spuria; qualia sunt: 1. *actus animi interior*, quem substituit Scribonius *Phys. Lib. III. p. m. 162.* Præterquam n. quod Somnium non animæ rationalis, sed sensitivæ affectio sit; potius illius actus animæ effectus est, qui quidem commodiori nomine vix appellari, quam Phantasma, potest. 2. *passio sensuum externorum*. Sunt enim dormientibus, quibus solis somnia accidunt, omnes sensus externi vincti atq; ligati. Ergò somnium potius sensuum interiorum, phantasiæ præcipuè, affectio est. 3. *aliaq; plura*, quæ à quibusdam loco Generis falsò adhiberi solent.

§. 6. Differentiam largitur partim *Subiectum* partim *Efficiens*.

A 3

Subje.

Subiectum cum somno Somnium habet commune; idq; est omne ac solum animal. Ratio est in promptu. Etiam quum non nisi in somno dentur insomnia, somni autem animal tantum capax sit; animal quoq; adaequatum & primum somni subiectum esse, infallibiliter inde colligimus. Idcirco plantæ & mineralia ut non dormiunt, neq; vigilant propriè, ita nec somniant. Idem de cæteris inanimatis est sentiendum. Aliter verò se res habet cum animalibus, brutis nimirum juxta & hominibus, quippe quæ somniorum terribilitatis agitantur perpè: Imprimis homines his subiecti sunt, tum quia ob tenuitatem sanguinis copiosiores in cerebrum vapores emittunt, tum quia agilioribus expeditioribusq; sensuum instrumentis pollent. Cæteroquin jumentis & animantibus domesticis, quin etiam insomnia accidant, nullum omninò est dubium, quum canes dormientes mutire ac latrare sæpenumerò audiamus. De reliquis autem animalculis, iisque præsertim, quæ imperfecta dicunt, dubium oboriri videtur. Verum, quanquam in illis, quorum sensus atq; operationes non adeò perspicuæ sunt, difficilius cognitu sit somnium, non tamen propterea omne prorsus ipsis est denegandum. Illa enim ipsa æq; animâ sensitivâ præditi sunt, uti cætera. Ergò non minus etiam somno pariter afficientur atq; insomniis. Sed ut ad hominem revertamur, præcipuum somniorum subiectum, dubium hinc nobis movent embryones seu infantes in utero materno adhuc conclusi. Sed, quum illi in utero naturales potius, quam animales exerceant actiones, dicendum est, quòd neq; dormiant propriè, neq; vigilant. Vigilia enim & somnus non nisi actionum animalium accidentia sunt, quæ in embryonibus non dantur. Deinde & hinc de animalibus completis ac perfectis, non contemplandis & perficiendis nobis res est: Quoniam autem embryo animal est nondum perfectum vel completum, ideò nec somnum, nec somnium eidem tribuendum esse, facile largimur. De cætero hoc adhuc litigium extat inter Philosophos, quo primùm tempore homini conveniat somnium? Equidem nonnulli infantibus planè denegant Somnium, in quorum numero etiam ipse Aristoteles est, qui *L.IV. Hist. Animal. cap. 10.* editis nuper in lucem & infantibus adhuc nul-

nullum penitus contrahi somnium affirmat, sed plurimis anno
circiter quarto aut quinto ætatis visa incipere. Cujus sententiæ
hæc allegari solet ratio, quod infantes cerebrum habeant summè
humidum, idq; quàm plurimis crassis halitibus atq; spiritibus re-
pletum, unde objecta ei non facilè imprimi queant. Verùm in
contrariâ sunt sententiâ Plinius, *L. X. cap. 75.* Galenus, *L. III. Aphor.
com. 23.* Tertullianus, *de animâ c. 49.* aliq; , cui & nos subscribimus
asserentes, infantes ab insomniis minimè excludendos esse; quip-
pe quum quotidiè fermè habeamus compertum, quod vel primo
anno infantes in somno rideant, sonum edant, nutent, apprehen-
dant, atq; similia peragant, quæ haud dubiè animæ somniantis
præbent indicia. Id quod nec ipse Aristoteles diffiteri potest, quin
L. VII. Histor. Anim. cap. ult. disertè affirmat, *somniare etiam infan-
tes, sed serò meminisse posse imaginum.* Quamquam facilè conceda-
mus, rariora esse in infantibus somnia, præsertim primis statim à
nativitate diebus, quum paucas tum species in cerebro recondi-
tas habeant: esse item ea imperfecta admodum, ita ut nec repræ-
sentatio fiat satis evidenter, nec insequatur aliquæ eorum reminis-
centia; sufficit tamen reverà aliquid repræsentari infantibus in
somnia, quod ex affectibus adductis liquidò colligitur. Ut adeò
frustrà sit Cælius Rhodigin. qui *L. XXV. c. 13.* *infantes somniare, in-
quit, si minus propriè loquendum sit, si propriè, non somniare.*

S. 7. Additur autem Subjecto huic certa quædam restri-
ctio: *prout dormiens est.* A somno enim uti dicuntur somnia; ita
non nisi in dormientibus dantur. Hinc Somnus pro se loquitur:

Sponte meâ veniens varias ostendo figuras,
Fingo metûs varios, nullo discrimine veri,
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

Item: Dum nihil ipse vides, facio te multa videre;

Lumina nî claudat, me quoq; nemo videt.

Proindè imagines illæ atq; delirîa, quæ vigilantes etiam non-
nunquam concipiunt, inter somnia propriè sic dicta minimè sunt
numeranda. Undè rectè G. J. Vosius *Physiol. Christ. L. III. c. 35. p.
894.* *Necesse est, inquit, ut sit in somnis, quia quæ imaginantur præ-
teriti, etsi illudant, somnia non sunt, eò quod per vigiliam fiunt.*

Notand

§. 8. Notanter superius dictum, animal Subjectum Somni esse primarium seu Quid. Aliàs Subjectum secundarium seu Quo est Cerebrum. Ut enim Somni primaria sedes est cerebrum, quod in somno primario afficitur, & propter cuius affectionem totum animal dormire dicitur; ita etiam Somnium, tanquam Somni accidens, in eodem seu primariâ sede fieri necessum est. Hinc fit, ut pro diversitate vaporum in cerebrum exhalantium diversa occurrant somnia. Scilicet ubi id ipsum crudorum halituum copiâ refertum non est, pura atq; distincta; contra quando ab halitibus agitur turbaturq;, aut nulla planè aut confusa apparent somnia. Id quod temulentis & helluonibus accidere videmus, utpote quibus ob turbulentum motum vaporum, è vino ciboq; in caput ascendentium, perplexæ admodum sunt imagines, quæ proindè, uti debent, elucere nequeunt. Quare mirum insuper non erit, cur in eiusmodi somniis tam multa nova atq; portentosa occurrant, quia nempe tunc vapores & spiritus inordinatè ac tumultuosè in cerebro divagantur & simulacra obturbant, commiscunt atq; hebetant. Secus verò fit, quum tenuiores vapores in cerebrum emittuntur, quumq;, percoctâ cibi ac potûs mole, minuta atq; inde remissior facta spirituum agitatio: Ita enim clariora, minus distorta, quin & veriora gigni somnia in aprico est; idq; matutino potissimum tempore observare licet. Quapropter firmo nunc stat talo, cerebrum proximè affici in somniis. At verò de eo non contendamus, utrum somni sedes sit in occipite, quod nonnulli ideò statuant, quia species in eo afferuntur; ibi autem phantasiâ imagines speculari, ubi reconduntur: an potius spiritus animalis suscitatas in occipite species ad mediam retrahat ac bajulet cerebri partem, ibiq; præbeat speculari; uti plures, sed, ut arbitror, levi nimis ratione commoti, maluerunt. Tutius enim videtur, si cum B Sperlingio nostro, *Zool. Phys. L. I. Cap. XI. quest. 2.*, cerebrum secundum unam eandemq; partem omnium interiorum sensuum sedem esse affirmemus.

§ 9. Hæc de Subjecto Somni sufficient. Restat adhuc, ut Causam quoq; Efficientem indagemus. Hanc Gentiles ipsum
Somnum

Somnum, utpote quem olim pro Numine agnoverunt, esse crede-
bant. Nam ille, si quâ læderetur, in somniis sese ulcisci ipsis cense-
batur. Sed procul à nobis absint hæc superstitiosorum hominum
deliramenta! Præterea nec dum de causâ Somniorum inter se
conveniunt Philosophi; siquidem alii cum Synesio *Lib. de somniis*
spiritum quendam phantasticum, quem volunt esse animæ vehi-
culum, auctorem & fabrum omnium somniorum comminiscun-
tur; hoc autem merum figmentum esse, fabulisq; Poetarum non
inæquale, de se manifestò constat: alii cum Porphyrio notiones
quasdam allegant, quas animus ex aliâ vitâ secum allatas in cor-
pus intulerit; id quod à fidei dogmatibus alienum est; nonnulli
cum Platone *in Sympos.* cuncta somnia à Dæmone provenire asse-
runt; verùm sanior Philosophia, juxtâ & quotidiana experientia
longè aliter nos docent. Rejctis itaq; his atq; aliis opinionibus,
nos pro Causâ somniorum proximâ & adæquatâ Phantasiam a-
gnosimus, quam & in definitione suprâ indicavimus: Hæc namq;
sola format effingitq; somnia prorsus mirificè, cum in brutis, tum
maximè in hominibus: alia quidem è speciebus ex operatione sen-
suum externorum relictis, alia pro constitutione cordis, ventricu-
li, epatis, membrorum genitalium, renum, humorum totiusq;
corporis, uti jam dicetur copiosius.

§. 10. Etenim præter Phantasiam datûr quoq; alia adhuc &
quidem remota Somniorum Causa, quæ tamen non unius ejus-
demq; est rationis, sed pro varietate specierum Somnii variat. Ut
verò distinctè hic procedamus, est illa *vel interior vel exterior. In-*
terior somniandi causa, quæ tanquam norma naturalium est so-
mniorum, duplex redditur, *dispositio scil. tum animalis tum corpo-*
ralis s. naturalis. Animalis enascitur ab anima, diciturq; à Phyfico-
rum nonnullis etiam *Moralis*. Nam hujusmodi somnium à dispo-
sitione animali promanans hominum ut plurimum sequitur mo-
res, dum res repræsentat, quas interdum sensibus usurparunt, easq;
vel planè repetit, vel ad earum similitudinem novas imagines fin-
git. De quâ posteriori repræsentatione Fromondus *Philosoph.*
Christ. de animâ Lib. III, c. VIII, p. 711. jucundam refert historiam:
Scio, inquit, *qui cum in cenâ particulam casei flavi sumsisset, &*
B *hau-*

baustulo vini Hispanici irrorasset, secut à nocte, somnio avicula flavi coloris huc illuc volitantis, occupatus fuerit. Flavido casei in avicula tincturam transferat: volitatio spiritus vini erat; qui non satis confertus & mobilis erat, ut plenum volatum, sed volitationem tantum quandam aviculæ representaret.

§.11. Corporalis à variâ corporis constitutione proficiscitur; nempe ex temperamento, ex nimia inedia & crapulâ, ex humorum prædominantium incursionibus, aliâve affectione; quæ ut multiplex est, multiplicia etiam exhibet Somnia, modò tranquilla, modò turbida, modò quæcunq; alia. Quippè affectioni ejusmodi phantasmata conformari palàm est. Hinc frigidioris naturæ homines glacie sibi aut nivibus sæpius videntur obruti. Scilicet, prout quis diverso gaudet temperamento, diversa somniat somnia.

§.12. Exterior est, quando dormientis phantasia ab extrinseco aliquo movetur principio. Eaq; dividitur in Corporalem & Spiritualem. Corporalis s. naturalis vicissim duplex est: altera ær ambiens, ut qui spiritus animales agitat, quibus deinceps excitatis multa oboriuntur Somnia. Undè, memini, inquit Fromondus Phil. Christ. Lib. III. de Anim. c. VIII. art. 6. p. 718 hyeme 1627 finiente & 1628 inchoante, ventosissima & sine getu omnes passim homines de insomniis & noctium inquietudine conquestos fuisse. Altera est influxus corporum celestium, qui diversa etiam causare somnia creditur. Etenim quali virtute atq; vi corpora coelestia influendo in materiam corpoream ad varias lapidum, metallorum, plantarumque formas gignendas pollent & concurrunt: talem quoque in phantasia exercere credibile est. Quanquam id fiat movendo saltem & excitando eandem; non verò imprimendo & de novo producendo species ejusmodi imaginabiles.

§.13. Spiritualem quod concernit causam, eam iterum bifariam dividi observamus: in Divinam videlicet & Diabolicam. Illa Autorem agnoscit DEUM; hæc verò Diabolum. De hæc adeò jam solliciti non sumus. Divina autem non uno semper modo nobiscum agit, quandoquidem DEUS ejusmodi somnia immittit partim immediatè, dum sine interventu causarum aliarum vel novas species

Species hominibus in somnis, modo planè peculiari & nobis in-
cognito, imprimere solet, vel species illas, quæ antea sunt obten-
tæ, ita ordinat atq; conjungit, ut rerum futurarum sint indicia:
partim mediatè, quando id per Angelos efficit, qui species, spiritus
vel humores in corpore latentes excitare & appositè coordinare
solent, ut homines de re ipsis commodâ & necessariâ doceant,
pariter atq; moneant. Quâ igitur ratione Angeli boni homini-
bus efficiunt somnia, eâdem id Diabolos quoq; præstare posse ma-
nifestum est.

§.14. Hactenus de quidditate Somniorum dictum est: nunc
de varietate ipsorum agendum restat. Circa quam tamen & ipsi
autores multum variant. Primum enim Hippocrates in *L. de Somn.*
duplex somnium constituit; *divinum & naturale*. Divinum vocat,
quod à DEO injicitur, ut insignem aliquem eventum hominibus
prænunciet. *Naturale* appellat, quod ex affectione ipsius dor-
mientis & causis in eo latentibus oritur. Macrobius autem *Lib. I.*
de Somn. Scip. quinque facit species Somniorum: ἐνύπνιον Insomni-
um, Φάντασμα Spectrum, ὄνειρος Somnium, ὄραμα Visum, χρη-
ματισμὸν Oraculum: quarum duas priores nihil, reliquas ali-
quid significare ac monere affirmat. Quas species ita describit
Hugo Victorinus, auctor, ut creditur, *libri de Spir. & An. c. XXV.* In-
somnia, inquit, est, cum id, quod fatigaverat vigilantem, ingerit
se dormienti: ut cibi cura vel studium. Phantasma est, quando quis
dormire cœpit, & adhuc se vigilare existimat, aspiceretq; videtur irru-
entes in se, vel passim vagantes formas, aut laticas aut turbulentas. So-
mnium est quid figuris tectum, & quod sine interpretatione inte-
lligi non potest. Visum est, cum id, quod viderat quis, eodem modo, quo
apparuerat, evenit. Deniq; Oraculum est, cum in somniis aliqua sancta
gravisq; persona, vel etiam Deus, eventurum aliquid apertè vel non e-
venturum, faciendum vel evitandum nunciat. Sed D. Gregorius *L.*
VIII. Moral. cap. XIII. Sex genera somniorum constituit: Aut enim,
ait, ex plenitudine vel inanitate corporis somnia existunt: aut ex an-
tecedentibus curis diurnis: aut ex illusionem Daemonis: aut ex cogitatione
hominis simul & Daemonis illusionem: aut ex revelatione DEI: aut deniq;
ex cogitatione hominis simul & revelatione DEI. Alii adhuc aliter

dividere solent somnia. Vid. inter cœteros Peucer. *de Divinat. ex somniis p. m. 245 seqq.* Nos quàm optimè Somnia pro ratione causarum in Naturalia, Divina ac Dæmoniaca dividere videmur; cùm reliqua membra facilè huc referri queant.

§ 15. Ut proindè à Naturalibus incipiamus, sunt hæc ipsa itidem duplicis generis: *Animalia alia, alia Naturalia in specie sic dicta.* *Animalia* dicuntur, quæ ex imaginibus à Phantasiâ interdium conceptis, & in animâ ac mente somniantis relictis formantur. Etenim quando spiritus animales variarum rerum imaginibus picti, tempore Somni levitate suâ per cerebri gyros vagantur, præterlabentes phantasiâ, ostendunt ei imagines rerum vigiliâ perceptarum in memoriâ conservatas, quibus in somno statim excitant illam, ut postea phantasmata non possit non speculari. Atq; ita id rarum non est, res interdium conspectas, auditas, manibus tractatas, secundum quietem deinceps velut repetitas atq; retextas, à cerebro minùs occupato moveri agitariq; in animis dormientium. Quapropter ejusmodi somnia, judicio D. Gregorii Nysseni *Libr. de nominis opificio*, citharæ haud dissimilia censeari possunt, utpote cujus fides, cessante manûs impulsu, adhuc modicè ab extremâ motione trepidant ac tinniunt. Nec tamen illarum solùm rerum, de quibus per diem differuimus, cogitavimusve, species in somno nobis sæpè recurrunt: sed & aliæ nos lacesunt, quæ excitantur ab affectionibus animæ tùm naturalibus, tùm artificialibus. Hinc somnia alia habet Studiosus literarum, alia Venator, alia Piscator, prout aliquis huic vel illi studio sese consecravit, aut alio vel alio officio fungitur. Unde piscator ille apud Theocritum *Idyll. 21.* de se testatur:

Πᾶσα κύων ἄρτις μαντεύεσθαι ἰχθονα κ' ἡγῶν.

Somnia sunt canibus panes, mihi somnia pisces.

Sic quoque concionantur in Somno Pastores, rixantur causidici, disputant Philosophi, canunt Musici. Quâ de re perquàm scitè Lucretius *Lib. IV. Poem.*

In somnis eadem plerosq; videmus obire,
Causidicos causas agere & componere leges:
Induperatores pugnare & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum;

E

Et quo quisq; ferè studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus ante morati.

Et Claudius in *præfat. de raptu Proserpina:*

Omnia quæ sensu voluntur vota diurno,
Tempora nocturno reddit amica quies.
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit.
Judicibus lites, aurigæ somnia currus
Vanaq; nocturnis meta cavetur equis.

Itaq; cum ea res hoc modo sese habeat, quid mirum, illos, qui instructi virtutibus sunt, meliora videre insomnia, eò quòd vigilantes æquè meliora animadvertant, & contra, qui deteriori affecti sunt animo, deteriora concipere? Adeò firma manet sententia, quòd diversas animi actiones atq; exercitia, diversa etiam somnia insequi soleant.

§.16. *Naturalia in specie dicta* sunt, quæ ex humoribus, temperamento aliisq; causis in corpore latentibus oriuntur. Quando enim corpus vel inediâ exhaustum, vel crapulâ repletum, vel humore aliquo nimis prædominante ægrescit, vel alio interiore vitio laborat, tunc modò pacata, modò turbida, modò multiformiter varia somnia experimur. Præcipuè autem pro temperamenti ratione dividuntur illa in Sangvinea, Cholericæ, Phlegmatica & Melancholica. Sangvineæ ex prædominante sanguine oriuntur. Quibus igitur sanguis est copiosior, illi plerumq; res somniant lætas, nuptias, choreas, lusus, convivia, musicam, hortos, crocum, rosas puniceas & similia; ut æq; lætas agere videantur noctes, atq; dies. Cholericæ ex prædominante flavâ bile proveniunt: Suntq; de coloribus flavis, de litibus & rixis, de pugnis & bellis, de incendiis, de fulgure, de volatu, & ita porro. Phlegmaticæ ex prædominante pituitâ oriuntur. Talia sunt de mari, pluviis, fontibus, fluminibus, balneis, navigationibus, submersionibus, oneribus gravantibus & incessum fugamq; retardantibus &c. Melancholicæ ex prædominante melancholiâ proficiscuntur. Et fiunt ejusmodi de rebus tristibus & formidulosis, de tenebris & nocturnis oberrationibus, de vagationibus per

loca solitaria, de ruderibus collapsorum ædificiorum, de spectris, de morte, de Diabolo ipso & Tartaro, atq; id genus aliis. Præterea quibus abundant sinceri puriq; succi, putant in somnis volutari se inter odoratos svavesq; flosculos: contra in sordidis, cæno, cloacis, cadaveribus versari sese, quorum in corpore humores foetidi putridiq; coacervantur. Quibus osculum ventriculi vitiosis confertum est humoribus, ex ascensu venenatorum halituum, cerebrum afficientium tetrivexantur somniis, ac inusitatis pavorebus terrentur. Quibus viscido humore affectæ obstructæq; sunt partes cerebri posteriores, illi comprimi ac suffocari sibi videntur in somno. Et ut paucis rem expediam: Quemadmodum per vitrum viride Objectum redditur viride, ita pro variâ corporis constitutione etiam Phantasiæ similes species objiciuntur.

§. 17. *Divina* sunt, quæ à DEO, s. immediatè s. Angelorum interventu, sanctis Patriarchis & Prophetis, tum & aliis pro ipsius arbitrio certoq; consilio de rebus maximi momenti fuerunt suggesta. Qualia olim frequentia admodum erant, hodiè autem fermè cessarunt. Aristoteles quidem somnia à DEO immitti negat pernegatq; ob hanc causam, quia ea sapientioribus & optimis viris contingere oporteat, quum tamen aliter res sit comparata; quandoquidem sine ullâ lege ac discrimine abjectissimis æque hominibus & de face vulgi, atq; viris præstantibus ea obveniunt. Verùm hoc Aristotelis dogma nobis nil planè officit; Ethnicus enim dum fuit, Ethnico quoq; more ita scribere non erubuit. Dari autem ejusmodi somnia nos affatim sacrae edocent paginae; quippe in quibus non pauca eorundem inveniuntur. Nam quid Jacobi Patriarchæ somnium de scalâ cælum cacuminibus tangente fuit aliud, quàm divinum? Quid fuit somnium Pharaonis Regis Ægyptiorum de septem tauris pingvioribus, totidemq; macilentis devoratis, ut & de septem turgidis ac prægrandibus spicis à totidem aridis & exsuccis absumentis, nisi divinum? Quid in Novo Fœdere illud Josephi de puero Jesu & matre ejus in Ægyptum deducendis fuit? divinum certè. Tacemus plura in sacris passim obvia. Nec minùs etiam extant exempla divinorum somniorum profana. Inter quæ procul dubio non postremo loco numerari debet

debet memorabile illud Friderici Electoris Saxonici gloriosissi-
 mæ memoriæ de Megalandro nostro Luthero somnium, quo ni-
 mirum tribus vicibus monitus fuit, ut ipsum à reformationis in-
 stituto ne revocaret, quin ad illud potius ulterius persequendum
 diligenter animaret. Conf: D. Olearii Wunderliche Güte Gottes
 p. 173. seqq. Nec prætermittendum hic censemus somnium istud,
 quod Romanæ Eloquentiæ flos ac parens Cicero *de Divinat: L. I.*
 recenset; cuius ipsius verba adducere non pœnitebit: *Quum dico,*
ait, Arcades familiares iter unà facerent, & Megaram venissent, al-
ter ad Cauponem divertit, ad hospitium alter. Qui ut cœnati quiever-
runt, concubia nocte visus est in somniis ei, qui erat in hospitio, ille al-
ter orare, ut subveniret, quòd sibi à caupone interitus pararetur: is
primò perterritus somnio surrexit: deindè, quum se collegisset, idq; vi-
sum pro nihilo habendum esse duxisset, recubuit: tum ei dormienti i-
dem ille visus est rogare, ut quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem
suam ne inultam esse pateretur: se interfectum in plaustrum à caupo-
ne esse conjectum, & supra stercus injectum: petere, ut manè ad por-
tum adesset prius, quàm plaustrum ex oppido exiret. Hoc verò so-
mnio is commotus, manè bubulco præstò ad portum fuit; quasivit ex
eo, quid esset in plastro? ille perterritus fugit, mortuus erutus est.
Caupone patet facta pœnas dedit.

§. 18. Tandem *Diabolica Somnia* dicuntur ea, quæ ab atro
 Spiritu, Diabolo scil. insidiosè dormientibus ingeruntur, vel ad
 perturbandos animos, vel ad libidinem, iram, odium, desperatio-
 nem provocandam, vel ad superstitionem confirmandam, vel ad
 occulta aut futura significanda. Quod posterius sæpè moliri so-
 let eâ de causâ, ut incautos homines postquam hos aliquorum
 somniorum eventu ad tribuendam iis fidem pellexit, vanâ super-
 stitione imbuat, à vero DEO avertat, eosq; errare faciat de viâ,
 quâ tamen incedere præcepit Dominus. Stratagemate ergò eo-
 dem ferè utitur veterator ille nequissimus, quo lutores, qui expila-
 re improvidos imperitosq; collutores fatagunt. Hi nempe sub i-
 nitium conflictûs lusorii colludenti aliquot vicibus cedunt, utq;
 lucretur, permittunt; mox verò omnium, ne sperantem quidem,
 pecuniâ emungunt: Sic Diabolus lusor larvatus primo congressu
 multa

multa hominibus indulget, ab blanditur, se victum fingit, & nihil non in gratiam incauti hominis conatur; usq; dum vel unico lusu animam, thesaurum ejus nobilissimum, vincat, arripiat, inq; æternum inferni barathrum præcipitet. Hoc somniorum genere Ethnicos multifariè fuisse delusos, atq; ita in impietate obfirmatos constat. Etenim sua habuerunt lectisternia in fano Serapidis, Æsculapii, Podalyrii aliorumq; , in quibus involuti victimarum pellibus cubare, & anxie à Diabolo somnii specie responsa de quaesitis rebus expectare consueverunt. Quorum exempla non pauca apud Ethnicos leguntur Scriptores. Ab his non multum recedunt hodiè Enthusiatarum, Anabaptistarum, Manichæorum & similium fanaticorum insomnia, dum omnem scientiam divinam per Somnia ac peculiare raptus instillari, ineptè persuasi sunt. Cujusmodi certè fuit illud Zvinglii, quo de tropicâ significatione copulæ in verbis institutionis S. Cœnæ se per spiritum esse informatum asserit, de quo albusne an ater fuerit se ignorare, ipse fatetur. De cætero notamus obiter, piis quoq; hominibus interdum, permittente sic DEO, insomnia ejusmodi evenire. Uti enim ipsos vigilantes per varia terriculamenta, ita dormientes ex concessione divinâ per somnia tentare juxta atq; insigniter vexare Dæmon solet: Nec tamen ultra metam à DEO O.M. sibi præfixam transcendere audet. Et quanquam hæc somnia sub specie malâ piis appareant, ad bonum nihilominus semper tendunt finem: Secus autem se res habet cum impiis, quippe quibus sub specie quidem bonâ exhibentur à Diabolo, pessimum tamen eventum minantur simul atq; præfagiunt. Sed instituti memores ad alteram Sectionem nunc tendimus.

SECTIO II. PROBLEMATICA

Quæstiones quasdam proponens atq; decidens.

Quæst. I. Utrum ex Somniis possit divinari nec ne?

§.1. Non convenit hæc de re olim inter Philosophos. Nam alii, utpote Epicurus, Xenophanes Colophonius, & ex Romanis Tullius in *Libr. de Divinat.* omnem ex somniis divinationem de medio

medio tollendam esse cenluerunt; alii contrà cum Stoicis nimium
authoritatis eidem irrogârunt. Verum enim verò, quod illi in
defectu, id hi in excessu peccarunt. Etenim vanam esse omnium
omninò obseruationem, nemo facilè asseverare potest, qui sanâ
præditus est mente; quum tam sacra, quàm profana historia de
Somniorum præfagiis atq; eventibus abundè attestetur. Quam-
vis hoc tamen inficias minimè eamus, Somniorum interpretatio-
nem, nisi diuinitùs contingat, periculosissimis expositam esse va-
nitatibus. Hinc neq; omnia somnia aliquid portendere sibi quis
ineptè persvadeat. Negat enim id vicissim & Scriptura Sacra: *Ubi
multa sunt somnia, inquit, plurima sunt vanitates & sermones innu-
meri: tu verò Deum time, Eccles. V. 6.* Negat & ipsa experientia:
Adeò enim multos, qui somniis quibusvis fidem tribuerunt, iis-
dem deceptos esse deprehendimus. Exempli loco nobis esse po-
test vel solus Darius Rex Persarum, qui ante ultimum cum Ale-
xandro M. congressum somniarat, videre se, exercitum Macedo-
nicum ignis fulgore collucebentem incedere per Asiam, & paulò
post ad se adduci Alexandrum in eo vestis habitu, quo ipse fuisset;
equo deindè per Babylonem vectum, subitoq; cum ipso equo o-
culis esse subductum. Hoc latum sibi somnium fore prædicebat
Darius, atque significari per flammam exitium hostibus, ut & Ale-
xandrum depositâ regiâ veste in Persicam potestatem venturum
esse. Sed flammæ arguebant celeritatem exercitùs Alexandri
instar flammæ volitantis, simul atq; victoriæ: Vestitus ipsum po-
siturum Regno Persico portendebat. Undè jam constat, quòd
uti omnia somnia contemnere temeritatis, ita omnia observare
vanitatis sit. Proindè tenendum, quòd Somnia alia sint *σημαν-
τικά* & præfagientia, alia verò *ἀσημαντά*, quæ nihil prorsus signi-
ficant. Et quod ad *σημαντικά* attinet, ea vel *θεωρηματικά* sunt,
quæ sine figuris species rei eventuræ ita exprimunt, & veluti ob o-
culos ponunt, ut in conspectum rei præsentis deducere videan-
tur: vel *ἀλληγορικά*, quæ rem figuris & ambagibus involutam
atq; adumbratam exhibent. Atq; utraq; iterum pro rerum con-
ditione ac varietate, quas respiciunt, variare solent: Aliud enim
ἴδιον est, quod ad ipsum somniantem pertinet: aliud *ἀλλότριον*,
quod

quod non somniatorem, sed alios respicit: aliud κοινόν, quod & somnianti & pluribus aliis convenit: aliud δημόσιον, quod publicum statum resq; publicas concernit: aliud κοσμικόν, quod toti mundo atq; ejus partibus commune est. Consul. de his Peucerus in *Lib. de Divinatione ex Somniis p.m.248.* ubi & singulis exemplum adjecit. Atq; hæc de divinatione per Somnia in genere præmonenda censuimus. Nunc quoq; de distinctis distinctè ut judicemus, non abs re erit.

§. 2. Quod igitur Divina attinet Somnia, de illis nullum prorsus est dubium, quia constanti certâq; veritate futuros eventus prænunciant, s. illa à DEO immediatè s. mediatè per S. Angelos inducantur. DEUS enim quum fallere aut ludificare nesciat; quidni vera quoq; ac infallibilia ab Eo, qui ipsa Veritas est, insomnia dependeant? Quocirca observationem omninò merentur, eò quòd informant nos pariter atq; corrigunt. Quamvis & hæc opus sit cautelâ, ne facillè ea pro divinis reputemus, quæ tamen à DEO ter Opt. Max. ne utiq; profecta fuerunt. Solet namq; DEUS, quando somnium mittit, simul hominem certum reddere, hoc à se profectum & coelitus emissum fuisse. Quapropter sedulò hîc cavendum, ne nos inescari patiamur talibus somniis, quæ quidè speciem somnii divini præ se ferunt, non tñ. à Deo sed à Diabolo proficiscuntur, qui ad nos fallendos nihil intentatum relinquit. Quin potiùs divinâ voce hodiè simo contenti, quam Deo in sacro Codice expressit, & in qua se conspici & pernosci vult, quò erga homines sit animo, & quomodo ab his coli debeat: Fanaticorum contrâ delira phantasmata, quæ monstrata sibi divinitus falsò nonnulli jactitant, procul fugiamus atq; excremur.

§. 3. Jam quid de Diabolicis habendum sit, ex antè dictis facillè colligi potest. Nam, quum illa autorem agnoscant omnium mendaciorum architectum, nihil etiam solidi in se continent, sive ea aperta & clara s. tortuosa & obscura fuerint; sed pro meris vanitatis fucò illitis & ad deceptionem compositis judicari, adeoq; omni industriâ negligi debent. Ita enim Ethnici vehementer frustrati sunt, quando ad suos ονειροπόλους, tanquam ad
Oracu-

Oraculorum delubra, confugiebant, ut ab his somniorum expositiones impetrarent. Verùm illi conjectores non ex propriis viribus id præstare valuerunt, sed solius Diaboli ope atq; auxilio, quippe qui ipsos edocuit, qualia responsa curiosè quærentibus reddere deberent. Usq; adeò nullæ antiqui istius impostoris induciæ sunt, quin fraudulentum virus suum, etiam per insomnia, in genus humanum effunderet.

§.4. Porro de Somniis Naturalibus in specie ita dictis est, quod addamus. Hæc quippe notatu dignissima sunt. Etenim tantum abest, ut ea ipsa negligenda sint penitus, ut nos ad humorum & affectuum internorum naturas latentes sæpenumerò deducant; siquidem inter hæc somnia & tales affectiones naturalis quædam datur connexio. Ex illis igitur tanquam effectis facilè causæ cognosci possunt. Hinc & Medicorum peritissimi attendere ejusmodi somniis solent, ut morbos, aut quonam modo corpus hominis constitutum sit, explorare queant. Ita ipse Galenus *Lib. de præfag. ex Somniis* testatur, quòd quidam alterum crus per somnum sibi lapideum factum cernens paulò post ejusdem cruris paralyti correptus sit. Alius, qui stare videbatur sibi in cisternâ sanguine repletâ; sanguinis evacuatione ob plenitudinem egere tacitè indicabat. Testatur idem etiam Magnus Albertus, suo edoctus exemplo, qui per Somnium in pectus sibi atriores effundi picem arbitratus, mox illucescente die bilem rejectavit atram, eamq; copiosiore. Causæ itaq; hujusmodi naturales sæpè tam validæ sunt, ut quando quis somniat aliquid sibi accidere, id reverà tunc illi accidat. Quare omninò observari possunt, quanquam sine necessitatis lege aut quadam superstitione.

§.5. Deniq; Animalia Somnia yana esse, vanosq; eorum observatores, prolixiori non indiget demonstratione. Nihil enim tam alienum à vero, tam ineptum monstruosumq; nihil est, quod Insomnia ista dormientibus non objiciant, quia phantasia præterita vel repetit saltem, vel miris modis confundit. De his rectè effertur: Somnia dormientium deliria, deliria vigilantium Somnia. Quò etiam pertinet versus ille Comici à Clemente Alexandrino *Protrept. fol. 28. citatus*:

Ψευδεῖς ὄνειροι χαίρειν ἔδεν ἡτ' ἀρεά,
Valete Somnia, cratis enim nihil.

Ad quod Poëta alludit h. m.

Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,

Et pavidas mentes vana timere jubent.

Ut adeò nihil ab istis Insomniis veri, aut observatu digni expectari posse, certo certius constet, nisi forsan ex iisdem affectus illos suspicari velis, quibus præcedenti die premebaris. Et si omninò eventus interdum respondeat somnio; istud tamen per accidens solùm fieri credendum est. Id quod Melancholicis præsertim usu venire nonnunquam solet; quippe qui, cum ingenio valeant, atq; de die magis cogitabundi sint præ cæteris, etiam per noctem plura somniant, quorum nonnulla in eventu vera deprehenduntur: non aliter atq; illi, qui cum totam diem jaculantur, aliquando collimant.

§. 6. De cætero sunt etiam, qui divinationi ex siderum influxu multùm attribuunt. Undè multas tabulas librosq; pro cursu Lunæ præsertim, tanquam humorum dominatricis, construere non dubitant. Sed eam prorsus, ut vanam & superstitiosam, rejicimus. Etiam si enim fortè ad somnia formanda aliquid conferat influxus ille cœlestis, tamen propterea non statim ex iis futuros eventus præfagire licet. Esto insuper, quòd somnii eventus unâ aut altera vice interpretationi, quæ pro cursu Lunæ exacta est, satis quidem obscurè responderit, nonne centies vicissim fefellit, & spe metuve frustraneo homines istos insanos decepit? Itaq; has atq; similes interpretationes susq; deq; habendas meritò arbitramur.

Qvæst. II. An Ephialtes s. Incubus, quem vulgò vocant, pro vero ac propriè dicto Somnio sit æstimandus?

§. 1. Ephialte affecti ii dicuntur homines, qui videntur sibi magnam molem & varia quæq; corpus invadentia sustinere, quibus premuntur adeò, ut suffocari propemodum arbitrentur, dum vox æq; ac spiritus ipsis intercluduntur. Quisnam igitur insultor iste sit aut haberi debeat, de eo non semel hætenus fuit disputatum. Multi equidem, sed falsò, opinantur, hunc esse Dæmonem
ipsum

ipsum, qui nocturno tempore non corpus solum contorqueat, verum in ipso quoque torsionis actu foeminas pariter atque viros saepius ludat, turpis libidinis usum ab iis exigendo. Quam lubricam opinionem derivasse videntur à Veteribus Ethnicis, qui fictos illos Faunos vel Satyros esse Incubum, ipsosque pari modo insultare hominibus, premendo, vexando, quin & stuprum foeminis inferendo, certò crediderunt. Deinde nonnulli hodiernum perivasi sunt, nihil aliud corpori incumbere, quam amasias vel amatores, eò quòd amore incitati id tentare conentur. Plurimi etiam hanc compressionem lamiis assignare non dubitant, ut quæ variis indutæ formis inimicos suos, aliosque vexent & crucient. Et tantum abest, ut opinionem hanc inveteratam fermè vulgo eximas, ut clavã citius Herculi extorqueas. Quippe jurat, ut quod læpissimè, se Incubum jam vetulæ, jam viri cujusdã attri, jam leonis aut canis villosi specie irruentem vidisse, audivisse, & manibus adeò contrectasse. Ut taceamus præterea alias ejusmodi aniles nugas ac superstitiones, quas vulgò illud vesanum de Incubo fovere juxtà & garrire non erubescit. Uti a. jam dudum est, quod ineptiæ hæ ab Eruditis explosæ sint; ita ad præternaturales causas refugium sumere ineptum foret, quum potiùs hujus Symptomatis causam in naturâ fundatam deprehendamus. Neque hîc obstat, si concedamus, Diabolum (quippe qui aliàs quævis mala mortalibus machinatur) sese nonnunquam conjungere, & hoc affectu pro torsionis instrumento uti; exindè tamen nullo modo inferri potest nec debet, ac si solus Diabolus Incubum causaretur.

§.2. Enim verò excitant hanc affectionem crassi vapores in hypochondriis ac venis mesaraicis collecti, qui generantur ex pravis humoribus ex vitio primæ coctionis ortis. Hi enim in thoracem exhalant, atque diaphragma & pulmones adeò coarctant, ut indè non corpus solum compressionè aliquam persentiscat, sed respiratio etiam intercipiatur. Tanta equidem mali hujus vis est, ut, quamvis clamare & vocem emittere moliantur isti homines Incubo laborantes, frustra tamen id intendant. Quid? quòd neque manum ad amovendam istam molem neque pedem ad capeffendam fugam movere, nedum extollere valent. Nec tamen compressio thoracis ad gignendum Ephialtem sufficit, nisi cerebrum

brum simul afficiatur. Tunc enim reliqua membra salva manerent ab omni motus impedimento; id quod tamen minimè fieri animadvertimus. Propterea quum vapores in fauces quoque ac cerebrum sese insinuent, posteriores imprimis cerebri meatus, qui ad spinalis medullæ tendunt initium, obstruunt: Ut adeò spiritibus animalibus liber ad inferiora transitus denegetur. Undè motus diaphragmatis, musculorum, cordis, pulmonis necessariò retardatur, ipsa vox sufflamatur, & quasi gravitas quædam incumbere videtur. Potissimum autem iis ingruere Incubus solet, qui nimiam victus copiam ingurgitarunt, ut à ventriculo concoqui non facile possit. Sic enim (præsertim quando supinus accedit decubitus) vapores tam multi, iiq; crudiores, ob defectum coctionis parùm defœcati, in cerebrum elevantur, ipsum degravant, & nervos, quorum principium illud est, adeò obsepiunt, ut inde tale Symptoma non possit non suboriri. Quod dum percipit Phantasia milleformis ille Proteus, se quoque immisceat, & exinde monstrosas atq; terribiles imaginationes fabricat. Undè sæpius Idolum oneris alicujus irruentis, à quo supprimatur corpus, ac suffocetur nimium quantum, sibi imaginatur somnians. Et licet opem vociferando implorare velit, tamen ne gemitum quidem edere posse sibi videtur. *Adeò in somnis parva*, uti observat Aristoteles *Lib. de divinat. somn. c. I. magna videntur*, eluso sic phantasiæ sensu. Ut inde non rarò ex muscâ gignatur elephas, ac levis pulicis morsus pro ingenti vulnere reputetur. Cæterà tot pro diversis Objectis, quæ Phantasia effingit, species enascuntur, quot vix ac ne vix quidem observare licet. Quidam n. sibi persuadent, videre se spectrum per fenestras ingredi, cubiculum petere, & corpori postea illabi: Quidam pedibus primùm in hære, mox ad pectus prorepere putant. Alii, nescio quid aliud, somniant.

§. 3. Quibus perspectis, ne à scopo longius abluamus, eò jam redit sententia nostra, Ephialtem, prout ita à phantasia diversimode formatur ac concipitur, non immeritò pro somnio declarari posse, nec non homines, qui tali onerantur, reverà somniare. Etenim res aliter se non habet, ac cum iis, quibus latens morbi vel doloris causa in aliquâ corporis parte præstò est, quiq; ideò se vulnerari, à bestiis morderi, aut crus
lapi

lapideum habere somniant. Ita enim & illi qui hoc modo præfocari vel gravantibus comprimi sibi videntur, habent omninò, undè morbos gravissimos metuant, quippe quorum anteambulo-nes Incubos esse, à quæ plurimis jamdudum observatum fuit.

Quæst. III. Num Noctambuli somnient?

§. 1. Si uspiam Phantasia vires suas ostendit, profectò id in Noctambulis m. præstare videtur. Ibi enim non cognoscendis solum iis, quæ sibi offeruntur, contenta est, uti prætereà in aliis plerisque somniis; sed Appetitum etiam, ac Locomotivam ita exstimulat, ut homines isti è lecto repente surgant iterum, & ignari omnium, quæ suscipiunt, modò clausis modò apertis oculis, hinc indè circumcurfent in domo, fenestras, scalas atq; summa ædificiorum fastigia conscendant, fores referant & obserent, & alia miranda opera efficere conentur, efficiantq; ut plurimum, quæ aliàs sui compositibus indecora juxta intutaq; crederentur. De his igitur dubium istud nunc nobis enodandum proponitur, num somnient, dum ita oberrant, Errones illi, an minus?

§. 2. Quum autem somnium in somno fiat, necessum sit, uti superius audivimus; è re fore existimamus, ut demonstratum priùs demus, utrum ipsi dormiant, an vigilent? Res certè dubia videtur: quia n. rationis suæ dominio sensuq; operationibus destituti sunt, nemo facillè somnii ipsi detrectabit; contra verò, quum spiritus animales è cerebro se membris insinuent, ut manus pedesq; sui juris reddantur, atq; ad hunc vel illum locum sese conferre valeant, vigilare potius eosdem, non nemo ut credat induci potest. Sed res in vado jamjam erit, modò distingvamus *inter somnum simpliciter & secundum quid talem*. Quamvis Somnambuli priori somno non gaudeant, utpote qui ligationem omnium sensuum externorum, & communis, nec minùs facultatis locomotivæ includit; benè tamen posteriori, ubi scilicet vel non omnes ligati sunt sensus, vel adhuc locomotiva viget, quæ organa motui destinata moventur, & id quod jubentur, æq; ac interdium exequi festinant. Atq; ita Nyctobatae illi non revertuntur priùs, nisi expeditiones suas, quas intenderunt, absolverint. Quo facto demum se in lectum iterum conjiciunt. Neq; aliàs expergiscuntur facile

cilè nisi vel in lapidè fortè impingant, vel ab alio quodam vocentur. Hinc fit scopiùs, ut sono ac clamore terrefacti & excitati de locis altioribus, quibus adherent, præcipites ruant, malumq; sibi perpetuò dolendum contrahant.

§. 3. Sed missis hisce, de eo jam unicè solliciti sumus, quid ad quæstionem propositam responderi possit. Hic licet plures negativæ sententiæ patronos reperiamus, qui nos movere forsitan possent, ut ad ipsorum partes inclinaremur: at verò, quum levibus vel planè nullius momentè innitantur rationibus, nos re paulò accuratiùs perpensâ, semisomniis illis somnium omninò tribuendum censemus. Accidit enim hæc affectio hominibus in somno, ubi actiones diurnas repetit Phantasia, atq; juxta easdem ceu exemplar suas fingit gignitq; imagines. Quamobrem animalibus quoq; Somniis istæ nocturnæ oberrationes quin annumerari queant, nulli dubitamus. Accedit huc etiam, quòd expergefacti iterum nihil noverint ampliùs, nisi quòd per Somnium quasi factum fuisse recordentur. Ubi quidem sententiæ nostræ non obstat, quòd Phantasiam excipiat Appetitus & Locomotiva. Illa enim tum demum cum his conjungi solet, quando ab aliis causis advenientibus validior, & ad præsentia objecta magis intenta redditur. Quibus speculandis dum adeò indulget, Appetitum ad rem ipsam concupiscendum, eâq; ut potiatur, Locomotivam insimul instigat atq; impellit, quæ postmodum concitatis spiritibus, & musculis commotis semisomne corpus elevat, atq; adeò appetitûs ductui obtemperat. Ita Schenkius L. I. Obs. 127. ex Adriano Alemanno recenlet: *Referunt quendam Parisiis gladio cinctum Sequanam fluvium tranâsse, eumq; interfecisse, quem vigilans interficere proposuerat, ac post patratum scelus domum redisse.* Quò facit etiam historiola illa admodùm lepida Libavii de famulâ quâdam p. 259: *Novi, inquit, quæ cum somno occupata in balneo totam peregisset noctem, subiretq; phantasia, bubulcum cantu exposcere pecora, repente ex lavacro pedibus jam tumefactis, & vix officium facientibus nuda prosiliret, caputq; per fenestram obviam effractis impetuosè vitris exserens tunc primum penitens evigilaret.* Plura de Somnambulibus hisce afferri possent, nisi scopi nostri id prohiberet ratio. Hinc igitur negligere ne videamur, pedem hîc figimus! Quòd superest, pro clementer nobis concessò beneficio sempiternam immolamus.

DEO SOLI GLORIAM,

05 A 677

ULB Halle

3

004 207 521




1077

Ad.







FELICITER!
DISSERTATIO PHYSICA
DE
S O M N I I S,

Quam
Divinâ adspirante Gratiâ
In Illustri Saxonum Academia
SUB TUTAMINE
V I R I
Precellentis juxtâ atq; Preclarissimi
DN. M. CHRISTIANI DONATI
AMPLISS. FACULTAT. PHILOS. ADJUNCTI

Meritissimi,
Domini, Fautoris, Studiorumq; suorum Promotoris
omni observantiæ studio suspiciendi,

Publicæ Eruditorum Censuræ

submittit

AUCTOR

CHRISTIANUS ANDREAS VOGELIUS,
ROSVINO-MISNICUS.

Ad D. XXII. Novembr. A. O. R. M. DC. LXXI.

In Auditorio Majori Horis matutinis.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.
Excud, Simon Liberhirt,